

28. *Deus meus es tu, & celebrabo te: Deus meus, exaltabo te.*

29. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum benignitas eius.*

Nihil variationis est in lectione Græcus & vulg. Lat. & Arabs, versum 21. ante vltimum repetunt, illum videlicet: *Celebrabo te, quoniam respondi mihi, & factus es mihi in salutem: verum sine Hebraica fide & auctoritate.*

EXPLA-
NATIO.

Duobus istis versibus pijsissimus rex Psalmum concludit. Et primum fidem suam & animi gratitudinem erga Deum confitetur. Fidem cum dicit: *Deus meus es tu.* Et iterum: *Deus meus.* Gratitude animi, cum addit: *Celebrabo te, exaltabo te.* Ingeminatio, confessionis huius ardorem exprimit. Deinde sicut initio Psalmi fecit, quosuis ad celebrandum bonitatem ac benignitatem Dei vltimo verba hortatur, dicens: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam, &c.*

OBSER.

Verf. 28.
Qualem affectum fides ista pariat, qua Dominum credimus esse Deum nostrum.

Deus meus es tu.] Videmus hoc versu, qualem cordis affectum fides ista pariat, qua Dominum nostrum esse Deum, & credimus & sentimus: nempe talem, qui gestiat ad illius celebrationem & exultationem. Quapropter cum dixisset: *Deus meus es tu;* adiecit: *Et celebrabo te.* Et iterum: *Deus meus, exaltabo te.* Quomodo enim non arderet ad laudandum Dominum, quisquis credit illum suum esse Deum: id est, redemptorem, protectorem, & conseruatorem, à quo sit magnis periculis ereptus, à quo conseruetur quotidie, & conseruandus sit in posterum quoque, & vsque in sempiternum?

OBSER.

Verf. 29.
Studium diuine laudis & primum debet esse & vltimum.

Confitemini Domino,] Obseruandum hic est, quod eodem hortatu populum Vates dimittit, quo initio Psalmi animos illorum ad laudandum bonitatem Dei excitauit. Qua in re admonemur, curandum esse nobis, vt hic affectus laudandi Dominum, & primus sit & vltimus in Ecclesia Dei, principium & finis Ecclesiasticarum adhortationum pariter & actionum.

PSALMVS CXIX.

ARGVMENTVM PSALMI.

TOto hoc prolixo Psalmo, cuius versus sunt numero centum septuaginta sex, animus diuine legis ardore accensus exprimitur, & fidelibus exempli vice proponitur. Legem Dei Vates alijs atq; alijs nominibus ornat, studiosos illius felices predicat, vt in illa intelligenda pariter & custodienda diuinitus instruat, orat, de inimicis suis aliquoties queritur, & impios ac transgressores maledictioni & exitio deuouet. Hac ferè summa est eorum qua hoc Psalmo non semel tantum dicuntur, sed iterum atq; iterum, magna pij cordis exuberantia repetuntur & inculcantur.

Quod autem structuram Psalmi attinet, studio quodam, haudquaquam ocioso & vano, sic est ordine elementario compositus, deinde & octonaria sectione ad numerum Ebraeorum elementorum diuisus, vt appareat Spiritum sanctum memoria piorum hac dispositione ad hoc consulere voluisse, vt cuius diuine legis studio in promptu esse possint qua hic canuntur. Sectione sunt vigintidua, secundum ordinem ac numerum literarum Ebraicarum. Qualibet sectione octonario versuum numero sic absoluitur, vt singulorum versuum initia eadem litera inchoentur, qua cuiuslibet octonario ex ordine competit: sicuti manifestum est illis qui Ebraice lingua sunt studiosi.

Quò magis autem Psalmi huius structuram, verba & quosdam affectus non obiter inpersos, sed magno studio & frequenter repetitos & inculcatos considero, non possum apud me aliter statuere, quam esse illud à Dauide cum in locis desertis, & inter Philistæos exul moraretur, alenda fidei sue, spei, & religionis gratia compositum. Et vt memoria sua & aliorum consulere, manifestum est, quòd singulari studio, qua hic de diuina lege, ad afflictionibus suis, spe & expectatione promissorum Dei canit, ordine elementario, & certis sectionibus complecti voluerit: vt, sicut etiam aliquo loco dicit, statuta Dei ipsi vice cantici in loco peregrinationis ipsius in promptu essent.

✠ Aleph.

VERS. I.



BEATI integri in via, qui ambulant in lege Domini.

2. *Beati qui custodiunt testimonia eius, toto corde querunt eum.*

3. *Nihil enim operantur iniquitatis, in vijs eius ambulant.*

4. *Tu praecepisti, vt mandata tua admodum sedulo custodiantur*

5. *Vtinam dirigantur viae meae, ad custodiendum statuta tua.*

6. *Tunc non confundar, cum respexero ad omnia precepta tua.*

7. *Celebrabo te corde recto, cum didicero iudicia iustitiae tuae.*

8. *Statuta tua custodiam, ne derelinquas me vsquequaq;.*

LECTIO.

Beati integri.] Ebr. אֲשֵׁרֵי הַתְּמִימִים. Græc. & vulg. Lat. Hieron. & Felix legunt: *Beati immaculati.* Pagnin.

Verf. 1.

Beati perfecti. Sic & Chald. paraphr. שְׂרֵי תְּמִימֵי: id est, Bene illis qui perfecti sunt. Camp. *Felices, qui innocenter viuunt.*

Verf. 2.

Beati qui custodiunt.] Ebr. יִרְצֵי. Græc. & vurgata Latina: *Beati qui scrutantur.* Hieron. & reliqui: *Beati qui custodiunt.*

Nihil

...operantur...
...ambulant...
...iniquitatis...
...praecepisti...
...custodiam...
...derelinquas...
...statuta tua...
...iudicia iustitiae...
...custodiendum...
...toto corde...
...in vijs eius...
...admodum sedulo...
...ad custodiendum...
...omnia precepta...
...didicero iudicia...
...ne derelinquas...
...vsquequaq;...
...immaculati...
...perfecti...
...innocenter viuunt...
...scrutantur...
...custodiunt...
...angelicę grat...